

**05**

**A**

**1576**









כאלהים

De

DIVINO NOMINE  
ELOHIM,

*Et imprimis*

Nobilissimâ, eaq; vexatâ multum  
Controversiâ; an ex hoc Nomine plurali, & præsertim hoc  
juncto Verbo singulari ברא, *Genes. I, vers. 1. vi* & ipsâ vocum ac con-  
structionis quodammodo mysterium SS. Trinitatis, vel sal-  
tem pluralitas personarum in unâ divinâ essen-  
tiâ possit probari?

DIATRIBÆ PHILOLOGICÆ

*Contra*

Judæos, Photinianos, Pontificios, Calvinianos  
atq; novatores nonnullos

SUMMARIUM

& quasi Ejusdem Prodromus,

PRÆSIDE

M. ANDREA SENNERTO,


Lingvæ Sanctæ Professore Publico,

*Respondente*

SAMUELE POMARIO, Wintzigensi Silesio,

*publicè disputabitur, ad d. 5. Martij,*

*in Auditorio majori.*



WITTEBERGÆ,

Literis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.

ANNO clb lbc XLV.

2

3





DIVINO NOMINE

ELOHIM

Nobilissima, Cap: Vexata mulierum  
Contra veritas, au ex hoc nomine plura & praesentia hoc  
... ..

DIATRIBE PHILOGICA



M. A. D. R. E. A. S. E. N. N. E. R. T. O.

1576 A 50

SAMMELB. TOMARIO. W. I. N. Z. I. G. E. N. T. I. S. I. L. L. I. O.


L. I. C. E. N. S. J. O. H. A. N. N. I. S. K. Ö. H. N. E. N. A. C. A. D. T. Y. P. O. G. R.

A. N. N. O. M. D. C. L. V. I.

2





 <sup>בְּנֵי</sup>  
Vam superioribus diebus de divino  
Nomine ELOHIM, & imprimis  
nobilissimâ eâ vexatâq; multum  
Controversiâ; an ex hoc Nomine plurali, &  
præsertim hoc juncto Verbo singulari בְּרֵאשִׁית,  
Genes. 1, vers. 1. vi & ipsâ vocum ac constru-  
ctionis quodammodo mysterium S. S. Tri-  
nitatis, vel saltem pluralitas personarum in  
unâ divinâ essentiâ possit probari? contra  
Judæos, Photinianos, & Pontificios atq;  
Calvinianos nonnullos, eorundemq; in parte  
hac socienos Diatriben Philologicam conscri-  
psimus, quæ quia præter spem omnem atq; opi-  
nionem in aliquot, ilices non adeò multas, pa-  
gellas excrevit; & qui sumptus tamen huic  
publicanda faceret, hætenus nobis defuit: hu-  
jus, inquam, DIATRIBÆ nihilominus tamen  
in præsens dare, atq; publicæ placidæq; Disqui-  
sitionis incudi submittere interea, הַיְנוּ, consti-  
tuimus SUMMARILIM, & quasi Ejusdem  
Prodromum, hisce in medium allatis propo-  
sitisq; Decem, vel ad summum duodecim, or-  
dine Questionibus. JEHOVA ELOHIM JUYA!  
A 2 QUÆ.



## QUÆSTIONES.

### I.

*Nomen ELOHIM in latitudine suâ, cum pro  
DEO vero sive Q̄ōōē tali, tum J̄ōōē Diis  
acceptum, cujus sit numeriratione  
termini sive forma?*

Resp. Pluralis numeri: quod probat 1. usitatus & ipse Singu-  
laris numerus, qui est אלהים cuius radix verbalis in lingvâ Arabicâ  
est usitata אלה aleha, Deum coluit, adoravit. V. & conf. loca, Deuter.  
XXXII, 15. & 17. Job. III, 4. Ies. XLIV, 8. aliaq; quam plurima: con-  
trâ magistr. sententiar. Lombardum, lib. I. dist. 2. Vasquesium, in  
partem pr. Thomæ, disp. 108. cap. 2. alios. 2. nota pluralis numeri ad-  
jecta: אלהים היום (Kimchi in Michl.) i.e. terminatio ים &c.

### QUÆSTIO II.

*Idem Nomen hoc modo acceptum cujus  
sit numeriratione sensus sive  
significationis?*

Resp. Pluralis, vicissim: contra negativæ sententiæ patronos  
quoscunq; V. & conf. omninò Wolf. Capiton. hexaem. sui pag. 65.  
ap B. Gerhardum, LL. T. I. denat. DEI §. 27. conf. & P. Galatin. de ar-  
can. catb. ver. lib. II, cap. 9. alios. Quem vicissim probant: 1. nume-  
rus & ipse usitatus singularis. 2. explicita pluralis numeri adjecta  
nota, quæ suppositorum cæterâ & infert pluralitatem ex se & pri-  
mò. 3. Loca S. Scripturæ expressa: 4. & imprimis, ubi alijs adjectis  
vocibus, adjectivo nempe nomine, pronomine vel verbo pluralis  
numeri aliter non, nisi in sensu plurali potest explicari: ex gr:  
Genes. cap. I. vers. 26. cap. III, 22. cap. XX, 13. cap. XXXV, 7. Exod. XXI, 6.  
cap. XXII, 8. 9. 20. & 28. I. Sam. VI, 20. &c. 5. Indoles, sive puritas vel  
simplicitas hujus linguæ, S. nempe sive Ebrææ. &c.

QUÆ-



### QUÆSTIO III.

*Id ipsum Nomen an tantum sit pluralis numeri; an verò nonnunquam etiam singularis: adeoq; numeri communi sui?*

Resp. In quo sibi egregiè placet J. Drusius, vir cæterà de literaturâ hac optimè promeritus & vix non omnia doctissimus, cum alibi, tum & præcipuè in *ad difficil. ll. Genes. cap. I.* eo usq; etiam proveniens, ut ad sententiam contrariam veriore, quæ jam ex hoc nomine plurali Elohim S. S. Trinitatis, vel saltem potius pluralitatis mysterium probat, pelvim pascat, imò Patronis ejusdem atq; assertoribus, sanis licet & nihili talis cujusquam minus, quam ejus indigentibus, helleborum. Sed salva res est. Concesso enim, id nominis aliquando, & rariùs quidem accommodari etiam singularibus, propter loca e. gr. *Genes. I, 2. Psal. XLV, 8. Hos. I, 7. conf. & Exod. IV, 16. c. VII, 1. cap. XXXII, 31. Iud. XVI, 23. 1. Reg. XI, 33. &c.* attemen 1. distinguimus inter significationem vocis nativam, propriam sive principalem, & translata sive secundariam. 2. Concedimus Cl. Drusio hoc nomine denotari Unum DEUM, sed illum non primò, verùm consecutivè. 3. negamus prorsus & constantissimè hinc decedere aliquid argumento, quod pro adstruendo S. S. Trinitatis mysterio ex hoc nomine vel phrasi integrâ יהוה ברא אלהים desumitur.

### QUÆSTIO IV.

*De Deo uno, vero, in specie usurpatum hoc Nomen Elohim cujus sit numeri ratione sensus?*

Resp. vicissim Pluralis: atq; urgemus 1. rationes & ipsas eas omnes adductas Q. II. addimus h. 1. etiam loca: יהוה אלהים יהוה אלהים *Dominus Elohim sancti ipse, Jos. ult. vers. 19. item, 2. Sam. VII, 23. Psalm. LVIII, 12. Jer. X, 10. cap. XXIII, 36. &c.* 2. & imprimis, Convenientiam, quæ est inter rem & terminum, sive vocem hanc,



hanc, quam vocant Logici, intentionis primæ, quæ est ratione termini sui numeri pluralis. Rem subministrant nobis Oracula divina, nempe pluralitatem in divinis: terminum & ipsæ hæ pagina, vel קדשן (conf. Soph. III, 9.) quâ imprimis usus præ cæteris est Spiritus Dei. Ut minimè adeò frustrâ id factum esse censendum sit, quod toties nimirum in S. Literis hoc plurale Deo attribuat. Ad Objectiones Drusij, cit. l. in Quæst. præced. alibi, petitas à nominibus nonnullis pluralibus (& tantum quidem talibus, quod notandum venit statim) v. gr. Athenæ, Thebæ, Salonæ, Samaim, tenebræ &c. in conflictu respondebimus. Verbo: clumbes sunt, & nihil ejus, quod debent, concludentes.

### QUÆSTIO V.

*An de DEO usurpatum hoc Nomen in sensu plurali adhibeatur על דרך הלשון, i. e. secundum idioma lingvæ Ebrææ: Et secundum quod quidem ad exaggerationem, summo Ejus excellentissimoq; honori, vel divina majestati indigitanda utcunq; adhibeatur?*

Resp. Hujus præsentis Quæstionis dilucidamus sensum hisce propositis in medium allatisq; VII. Θεωρήματα sive pronunciatis:

I. Idiotismus lingvæ (in genere) est affectio talis lingvæ cujusvis, secundum quam tum ratione vocum simplicium, tum conjunctarum primò differt lingua ab alia lingvâ sive linguis, tum & deinde etiam secundariò à se invicem, secundum analogiam suam perpetuam atq; communissimam.

II. Idiotismorum origo non una eademq; est per omnia in lingvis.

III. Non omnium Idiotismorum, sive locutionis cujuslibet aut structuræ ratio æquè certa & accurata semper reddi potest: vel certè ea occultior nonnunquam est.

IV. Multò



IV. Multò plurium tamen ἰδιότητων ratio satis plana & manifesta est.

V. Dantur etiam similes Idiotismi in lingvâ S. Ebræâ. Et in specie הלשון ררך est, & sic fert indoles sive proprietas hujus lingvæ, quâ nonnunquam adhibetur singularibus vocabulum pluralis numeri; vel jungitur singularibus explicitè plurale.

VI. Similium Idiotismorum ratio non æquè una eademque semper: nec item æquè obvia, vel singulis; sed latentior nonnihil est.

VII. Nomen אלהים in specie, quando de Deo uno, verò usurpatur, vel item h. m. usurpatum jungitur verbo singulari ברא h. l. vel alteri; non est nudè vel tantùm הלשון ררך; nec item ררך רכב est, vel excellentissimo summoq; Ejus honori aut divinæ majestati exprimendæ utcunq; , vel solùm & principaliter adhibetur.

Horum VI. priorum Theorematum uberiores mentem in conflictu dabimus; postremum verò, nempe septimum, ita probamus: & quidem I. quod non הלשון ררך nudè & tantùm sit, ejus ratio alia nulla, quæ subsit, præterquam usus merus linguæ hujus, dari possit, patet: I. quia הלשון ררך simile damus concedimusq; fortè in ejuscemodi exemplis saltem, in quibus convenientia inter rem & rationem nulla est, vel ubi alia ratio, quæ subsit, dari nulla potest. 2. in nostro verò exemplo inter terminum sive vocem intentionis primæ & rem utiq; est daturq; quædam analogia, & sufficiens adeò ejus ἰδιότης ratio reddi potest. Quæ duæ vice hac rationes sufficiant. II. Nec ררך רכב est, vel excellentissimo summoque. Ejus saltem honori, aut divinæ majestati describendæ utcunq; exprimendæq; DEO adhibetur hoc Nomen Elohim: contra non tantùm Photinianos Socinum in *defens. animadvers. Posn. p. 132.* Enjedinum in *explicat. II. SS. V. & N. T. Schmalz. contra Schopp. de S. S. Trin. p. 6. & 9.* alios, sed & majoris commatis Viros alioqui nonnullos, quos non nominasse h. l. nihil refert. Adde his jam etiam Rabbenos, R. Selomonem, R. Aben Efram, R. D. Kimchi, Bechai, alios. Sententiam nostram etiam confirmamus, nam I. urgemus vicissim momenta ea rerum atq; rationum adducta pleraq; Quæst. II. & IV. 2. imprimis iterumq;



rumq; indolem' vocis, sive nativam principalissimamq; pluralis numeri significationem, qui non rei dignitatem sive excellentiam, sed suppositorum pluralitatem primò & ex se infert. 3. Sunt & qui hac ratione sive argumento utuntur: (V. B. Gerhardus, LL. Tom. I, de nat. DEI, §. 30. in exeg. l. 2. de DEO, §. 53. & loco 3. de S. S. Trin. §. 113. in quibus singulis ll. Theodoritum pro se citat in qq. in Genes. quest. 20. ubi tamen hæc verba reperire nos non potuimus: similiter & eadem allegat in exercitat. suis in Genesim exerc. IV. p. 18. Rivetus, alii) *si Deus propter authoritatem & majestatem de se loqueretur in plurali, oportuisset eum ita loqui vel semper, vel ut plurimum, præsertim verò quum Legem daret in Sinâ.* Equè enim certè DEUS semper honoratus est, nec tamen æquè semper loquitur de se in plurali. 4. Si nomen אלה inflexum de singulari suo in pluralem numerum esset ררך הכבוד nomen honoris; vel si ejusmodi efficacia in significandâ DEI majestate numero plurali attribuenda, cur non multò magis inflectit in hunc modum, vel utitur S. Scriptura nomine יהוה essentiam Ejus significante? 5. Ad Objectiones petitas à formulis: *Nos Ferdinandus, &c. Wier von Gottes gnaden &c.* aliasquè citra aliquam majorem difficultatem suo loco respondebimus.

## QUÆSTIO VI.

### *An importet saltem pluralitatem virtutum, potentiarum sive proprietatum in DEO?*

Paulo propius ad rem accessisse, imò acu tetigisse eandem sibi imaginantur, id qui jam statuunt. Unius, præter recentiores, R. Bechai adscripsisse verba non pigebit, qui ita in principio Geneseos:

אלהים פי רושו בעל הכחות כלם ומזה הטעם לוי  
אמר אל ולא אלה כי אם אלהים בלשון רבים. וכן  
אלהים קדושים הוא כי הוא הכולל הקדושות כלם. וכן דרך  
הלשון בממשלת השפלים ארונים קשה בלשון רבים.  
וזה לגדול מעלה הארון ולרבוי מיני הממשלה שיש לו.  
וזה בבשר ודם אף כי בשם ית אשר מיני הממשלה  
שלו אין להם מספר וכל המושלים אין  
ממשלתם רק ממנו והוא אחד ובהיותו רבים

i. e. Elo



i. e. Elobim, hoc est, Dominus potentiartum omnium: & ob hanc causam non dicit (Moses) El, neq; Eloab; sed Elobim in numero plurali. Et sic: אֱלֹהִים קְדוֹשִׁים הוּא (Elohim sancti ipse, Jos. XXIV. 19.) quia ipse complectitur sanctitates omnes. Sic etiam consuetudo linguae est (loqui) de dominio humilium (h. e. hominum) In manum dominorum duri (Ies. XIX, 4.) in numero plurali. Atq; id propter magnitudinem excellentiae domini istius, & propter multas species domini istius, quod habet ipse. Si hoc (dicitur) de carne & sanguine, quanto magis de DEO, qui sit benedictus; cuius multiplicis domini non est numerus, & a quo solo, quicumq; dominantur, dominium suum habent, & qui unus est, sed potentia ejus plurima. Haftenus R. Bechai. Enimvero respondemus: 1. militant pro nobis, i. e. negativâ sententiâ, argumenta vicissim pleraq; adducta in superioribus Quæst. II, IV. & V. 2. Exemplo rem declaramus: rosæ, violæ v. gr. animæ (plural.) non notant animæ (unius) diversas facultates; violæ, rosæ unius plures distinctasq; virtutes, proprietates, vim refrigerandi, corroborandi caput, cerebrum &c. sed suppositorum copiam vel multitudinem, pluralitatem. Et quid, si illud esset, singulari sic opus esset? cuius hic usus? quo termino deniq; quâ nominis formâ plures subsistentiæ, rosæ, violæ, animæ plures notabuntur? 3. & notamus hic haud immeritò tacitas assensiones adversariorum aliubi: ex. gr. sic Calvinus (qui nostram sententiâ, quæ ex nomine Elohim S. S. Trinitatis vel pluralitatis mysterium colligit, violentam glossam vocat, in Genes. principium) postquam ibidem sententiam suam fusiùs pluribusq; dixisset, & inter alia hisce verbis: Nobis satis sit, quod pluralis numerus DEI virtutes sonet, quas in creando mundo exeruit: Subdit mox: porro Scriptura, fatemur, tametsi multas DEI virtutes recenset, semper tamen ad Patrem & Verbum ejus & Spiritum nos revocat &c. Confer & aliusq; perpende non nihil verba R. Bechai superiùs adducta a nobis.

## QVÆSTIO VII.

An id ipsum Nomen Elohim DEO vero attrib-

B

tribu-



tributum principalissimè pluralitatem perso-  
narum insinuet in unâ essentiâ divinâ,  
vi & ipsâ vocis quodam-  
modo?

Reps. Id quod est, quod affirmamus jam constantissimèq; : con-  
trâ Judæos, Photinianos omnes; Pontificios, atq; Calvinianos non-  
nullos, nec non novatores quoscunq;. V. instar omnium ex Ponti-  
ficiorum choro, R. Card. Bellarminus, Jesuita bilinguis, in *Institut.*  
*Ebr.* (infelicissimis) *de Synt. cap. 4. & Controvers.* Tom. I. de Christo  
*lib. 2. cap. 6.* ex Calvinistis, ipse horum choragus ex primis, *suprà*  
*cit. l. & nuperrimè hodieq;* qui scripsit & claret, doctiss. Rivetus,  
*in exercit. suis in b. l.* Mentem nostram confirmamus etiam vicissim  
jam, & quidem brevissimis hac vice (*ὡς ἐν ἰσῶω καὶ συνόψει* scil. o-  
mnia, ut in limine hujus monuimus statim ) urgemusq; 1. ite-  
rùm maximeq; nativam, intrinsecam, propriissimamq; Nominis  
hujus significationem. 2. analogiam sive proportionem Gramma-  
ticam. 3. Linguae Sanctae Ebraeae indolem sive puritatem vel simpli-  
citatem. 4. Usum hujus pluralis in S Literis creberrimum, præ sin-  
gulari. 5. Nec usum tantùm pluralis, sed inflexi & imprimis à suo  
singulari, & ipso usitato. 6. adjectaneas voces alias, sive epitheta no-  
mina adjectiva alia, pronomina item, & verba pluralia, quæ di-  
lucidationis gratia, ut ne ampliq; ullum cui sit remaneatq; dubium,  
adjecta sunt non rarò à Dei amanuensibus, significare nempe illud  
in sensu suo nativo atq; propriissimo; qualia sunt, & ex parte in  
qq. II. & IV. *suprà* adducta sunt à nobis; v. g. **הַתַּעֲוִי אֲתִי אֱלֹהִים**  
*errare me fecerunt Elobim de domo patris mei, Genes. XX, 13.*  
**וְהִלָּלוּ אֱלֹהִים אֱלֹהֵי אֱלֹהִים** *revelati sunt ad eum Elobim, cap. XXXV, 7.*  
**יְהוָה אֱלֹהִים קְדוֹשִׁים הוּא** *Jehova Elobim sancti ipse, Jos. ult. 19.*  
**אֱלֹהִים שֹׁפְטִים בְּאֶרֶץ** *Elobim judicantes in terrâ, Psal. LVIII, 12.*  
*Conf. & Genes. I, 26, cap. III, 22.* (qui locus, & rectissimè quidem  
urgeri solet, quod eo nominis hujus sui explicationem Deus ipse  
tradiderit: **וַיֹּאמֶר יְהוָה אֱלֹהִים הֵן הָאָדָם הוּא כְּאֶחָד מֵאֵנָּה**  
& dixit Jehova Elobim, ecce homo est, sicut unus ex nobis) *(Deut. V. 26*  
*2. Sam.*



2. Sam VII. 23 Jer. X, 10. & XXIII, 36. alia. 7. Quin imò non  
defunt & alia nomina vicaria q. ejusdem numeri, quæ & adhuc  
insuper ad tollendum omnem dubitationem loco hujus nominis  
pluralis Elohim substituuntur & de DEO vero Elohim enuncian-  
tur; ut: **וְאֵם אֲבִי אֲנִי אֵיָה כְבוֹדִי וְאֵם אֲרוֹנִים** Si pater  
ego, ubi honor meus, & si Adonim, &c. Mal. I, 6. **יִשְׂמַח יִשְׂרָאֵל בְּעַשְׂוֹ**  
letetur Israel in factoribus suis, i. e. Elohim Deo suo. Psal. CXLIX, 2.  
conf. Ies. LIV, 5. &c. 8 Urgere proporrò possemus & Grammati-  
corum regulam hanc, vel potius Observationem è S. Literis peti-  
tam, firmiterq; in his stabilitam, quod ex inductione sufficiente  
exemplorum liquet: Plurale singularibus attributum, vel jun-  
ctum iisdem explicitè distributionem & per consequens pluralita-  
tem quandam notat, & in substantiis quidem suppositorum. 9. it:  
S. S. Scripturarum divitias, sive profunditatem earundem, quæ  
& notanda venit in singulis earundem apicibus sive *κεφαλαις*. Un-  
de, ut ne illud Salvatoris nostri, *Matth. V, 18.* adducamus, sapien-  
tissimè veteres ex Ebraeis sapientes: **בְּתוֹרָה אֶפִּילוּ אֹת אַחַת**  
**שָׂאן יֵשׁ בָּהּ תְּלוּיִם הַרְיוֹן גְּרָלִים** Non est in Scripturâ vel  
una litera è qua non dependent ingentes montes. Cum quo non discor-  
dat per omnia, quod divinus Plato in Cratylo suo inculcat, non  
in dictionibus singulis tantùm, sed & in dictionum singulis par-  
ticulis convenientiam, quæ est inter rem & verba, diligenter spe-  
ctendam esse. Quod etiam hoc loco notari vellemus ab adversa  
nobis parte. 10. & imprimis (quippe quæ ratio inter primas har-  
rum meritò numerari debebat) inculcamus convenientiam inter  
plurale nomen hoc ratione termini, & rem sive tres vel plures  
saltem unius Deitatis imperscrutabilis tremendaq; personas, i. e.  
uno verbo, analogiam rei & rationis: à quâ cur quæso, vel quibus-  
nam de causis recedendum est? & quæ tùm postea alia rationum  
rerumq; essent momenta, quæ addere hisce insuper possemus.  
Selige nunc è horum medio, Candide atq; benevole Lector, vel  
saltem unam atq; alteram (*ἁποδείξεις* enim singulas hasce esse  
nolumus) quam vis mavisq; rationem. Uberiorem verò earun-  
dem, compendio quandoquidem hec studemus, *ἐκ θεσπῶν* in ipsâ  
*διακρίσει* dabimus.

QUÆSTIO



QUÆSTIO VIII.

*Idem nomen Elohim plurale (sic & alia nonnulla) cur aliquando uni alicui rei sive singularibus adhibeatur?*

Resp. Quæ quidem Quæstio de hac materiâ præsentè principaliore non est principalissimè, circa tamen eandem nihilominus versatur. Concedimusq; adeò accommodari id nominis nonnunquam, sicut & alia nonnulla בְּעֵלִים אֱלֹהִים &c. uni rei singulari cuidam: fieriq; id I. quando de Creaturis sermo est, vel 1. דרך הכבוד על summæ rei dignitati vel excellentiæ aut honori indicandis: vel 2. לרבו מיני המדות והכחות, ad multitudinem sive pluralitatem potentiarum s. proprietatum aut virtutum in uno certo supposito, re vel personâ indicandis: vel 3. addimus & insuper hoc, fieri id etiam nonnunquam posse על דרך הלשון nudè & tantum, juxta proprietatem lingvæ solùm, quando videtur nihil sc. illius aut istius subesse. Ubi tamen & ubicunq; vel κατά τὸν μερισμὸν, ἢ διαίρεσιν aut aliis modis commodè locus potest explicari; vicissim id ultroq; damus, concedimus: ita tamen ut ne textui vis inferatur, aut contorta nimis sit, frigeatq;, quæ adferatur, ratio: v. gr. quando quaeritur: cur Daniel, prophetiæ suæ libri cap. II. vers. 36. loquatur de sese minori tanquam, & ex subditorum & captivorum licet numero uno coram Monarchâ summo Nebuchodonosore in sensu plurali: *הָלַמָּא וּפְשָׁרָהּ נִאֲמַר קְדָם מַלְכָּא hoc somnium, & interpretationem ejus dicemus coram rege?* II. Quando verò de DEO vero, æterno locus est, ut huic juxta hanc vel illam certam personam nomen hoc attribuatur, sicut id in paucissimis quibusdam locis e. gr. *Genes. I. 2. Psal. XLV, 8. Hos. 1, 7. &c.* fieri negare per omnia non possumus: tunc, inquam, id dicimus fieri in sensu translato sive secundo, ut indicetur nimirum, unam illam personam, Patris vel Filij vel Spiritus Sancti ex earum numero esse, quibus simul & semel, vel collectivè sumtis, ut loqui sic nobis liceat, in sensu suo nativo & proprio adhibetur hoc nomen; adeoq;



eoq; quia non solitariè Deus est persona illa, sed unà cum reliquis  
duabus personis: vel si magis adhæc Theologicè sermonem infor-  
mare velimus, quia una illa persona, cui accommodatur id no-  
men, unius ejusdemq; & indivisæ est essentiæ cum reliquis, &  
quia ἐνάλληλος datur intra tres has personas essentialisq; ἐμπρα-  
χώρησις, quâ una præsentissimè & perfectissimè inhabitat in alia;  
Pater in Filio & Sp. S. Filius in Patre, &c. Enimverò nihilomi-  
nus tamen nihil derogat accommodatio illa nominis hujus plu-  
ralis Elohim rei singulari, individuæ, vel personæ certæ, huic, illi,  
significatui ejus nativo plurali, principalissimo propriissimoq; &  
quò minùs denoter inferatq; ex se etiam & vi suâ pluralitatem  
personarum unius indivisæq; admirandæ Deitatis.

### QUÆSTIO IX.

*Quid nomen Elohim plurale constructum cum  
Verbo singulari ברא Genes. I. vers. 1. ade-  
oq; integra phrasis denotet?*

Resp. Jam integra phrasis ברא אלהים, quæ succedit, notat  
non tantùm pluralitatem personarum, sed & essentiæ unitatem,  
simul & semel: h. e. Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinita-  
te. Rerum momenta sive rationum nostra hæc sunt vicissim  
breviter: 1. Indoles vocum utrinq;, atq; rei rationisq; analogia.  
Ecce petitum diu inq; involucris verborum & ipsis reconditum  
suo qualicunq; modo S.S. Triados mysterium. 2. Constructionis  
modus peculiaris, extraordinarius sive irregularis; præsertim in  
Mosis, amanuensis Dei fidelissimi, initio, commatis primi statim  
altero tertioq; verbis, Quorsum pertinent ex בראשית קטנה  
i. e. *expositione Genesew minoris*, super hunc textum, cit. Galatino,  
*de arc. cathol. ver. lib. II, cap. 9. p. 70. edit. Basil. 1550. verba R.* הוּנִי  
cujusdam, qui expressè: *Nisi hic sermo scriptus fuisset, non licuisset  
dicere: ברא אלהים creavit Elohim.* 3. Canon & ipse Grammati-  
cus, vel DD. Ebræorum suprâ citatus Q. VII. Singularibus junctum  
vel adhibitum plurale (aut vicissim) distributionem notat: vel

B 3

ut



ut alij pronunciant: Nominis vel verbo plurali nomen vel ver-  
 bum singulare junctum vel adhibitum distributionem notat:   
 addimus etiam nos, & per consequens quoq; multitudinem vel  
 pluralitatem; & quod actio aut qualitas adjunctæ vocis unicuiq;  
 eorum per se conveniat, quæ sub universitate hujus pluralis con-  
 tinentur: v. gr. ut minima cum maximis, summa cum vilissimis  
 imisq; comparemus: וְקָבַל הַיְהוּדִים *Et recepit Judæi, Esth. IX, 23.*  
 וְהָיוּ חֲרָשׁוֹת *bos (ad liter.) erant arantes Job. I, 14. id est,*  
 quisq; horum. Sic: בְּנֵי חָכְמוֹת נָשִׁים בְּנֵי חָכְמוֹת *sapientes mulie-*  
*res adificat (ad lit.) domum suam, Prov. XIV, 1. h. e. quæque sapien-*  
*tum mulierum, &c.* 4. Parallelismi varij: imprimis pluralita-  
 tem personarum in specie h. l. quod concernit. Ubi urgent alij  
 (V. Flacij *Clav. parte I. voce Deus p. m. 216. l. 24.* B. Gerhard. *exeg.*  
*l. 3. de S. S. Trin. §. 121.*) substituta vocabula alia ejusd. numeri, nem-  
 pe pluralis, à prophetis atq; Dei amanuensibus adhibita in adm-  
 rando Creationis hoc opere: עֲשׂוּם *factores v. gr. (quod cum*  
*בְּרָאִים Creatores familiam ducit) aliaq;: V. Psalm. penult. vers. 2<sup>a</sup>*  
*Ies. LIV, 5. &c.* Alij, epitheta pluralia alia, qualia alibi adducta  
 sunt à nobis qq. II. IV. & VII. Illyricus suprâ cit. l. p. m. 216. l. 51.  
 hoc & argumento imprimis utitur, quod adhuc nobis magis arri-  
 det, desumpto ab admixtione crebra pluralis & singularis nume-  
 ri: Sic, inquit, *Abrahamo tres apparent, & tamen ille tantum unum*  
*adorat: & mox totus sermo mixtim jam de uno, jam de tribus, jam in*  
*singulari, jam in plurali habetur, ut eâ numeri alternatione ostendatur*  
*& unitas Dei & trinitas personarum &c.* V. illum. Objectiones quæ  
 & h. l. impr. à modernis scriptoribus, & qui ultimùm, ut sic dica-  
 mus, colophonem huic Controversiæ adhibuisse sibi omninò vi-  
 debuntur, in quorum numero præcipuè sunt Bellarminus, *Con-*  
*trovers. de Christo lib. II, cap. 6.* Drusius, in peculiari tractatu de hoc  
*Nomine, alibi, & doctiss. Rivetus, exercit. suarum in Genes. exer. I. in*  
*h. l. suo loco diluemus.*

QUESTIO



## QUÆSTIO X. & ultima.

Quam probationis vim habeat, an solidioris  
nimirum argumenti, an secus, illatio hæc ex  
integrâ phrasi ברא אלהים, vel etiam nomine  
אלהים absolute & in se spectato petita: item;  
an etiam S. S. Trinitatis (in specie) myste-  
rium hinc probetur: & deniq; quale hoc  
sit Nomen Elohim & quid  
nolet?

Resp. ad primum. Alii ergo pro planè nullo; alii vicissim non  
admodum solidum atq; imbelles nimis imbecillumq; id argu-  
mentum esse, quod pro adstruendo S. S. Trinitatis mysterio ex hac  
voce vel phrasi petitur, agnoscunt. Ita Calvinus in *b. l.* (quem  
& supra audivimus Q. VI.) qui violentam glossam rem hanc vo-  
cat. Quem & pro se citat Dn. Rivetus superius *alleg. l. V.* item  
doctiss. Mercerus, identidem Martyr, ambo *heic.* Cl. Sixtinus ab  
Amama, *antibarb. lib. 2. ad b. l.* qui in hæc ibid. prolabitur verba:  
*illud saltem notabit tyro, non hoc egisse magnos illos viros* (intelligit  
juxtâ post Pontificios Scriptores nonnullos, prædictum Calvi-  
num, Mercerum, Paræum, Drusium &c.) *ut arduus ille de S. S. Tri-  
nitate articulus hoc tibicine ablato collabasceret, sed ut Theologos in gra-  
vissima istâ questione cum subtilissimis hæreticis disputaturos docerent. so-  
lidioribus argumentis esse ad hæresendum.* Hæc ille: ubi & Thomam  
Angelicum, itemq; megalandrum nostrum B. Lutherum pro se in  
hanc eandem sententiam citat. Qui mitissimè deniq; sentiunt,  
non immediatè ex hac voce vel phrasi, vel vi & ipsâ harum vocum  
& constructionis quodammodo mysterii id probari posse negant.  
Verum enim verò sicut in acie primâ contra hæreticos-antitrini-  
tarios id argumentum stare collocariq; posse vel debere minimè  
sentimus: ita eidem tamen juxta vel saltem post reliqua locum  
esse



esse suum relinquendum omninò arbitramur, & nos ut plurimùm, ut verbis utamur B. Augustini, delectat, quod in summo exordio libri *Geneseos*, addimus etiam de nostro, & toties passim, quoties nominis hujus nudè positi *Elohim* in sacris fit mentio, summum hoc venerandumq; mysterium nobis commendetur. At enim inter locos topicos sive dialecticos, quos vocant, id familiam suam ducere quidem ceterà agnoscimus: sed enim vicissim si nomina rebus suis satis & exactè, ut fieri debet, conveniant, satis firmiter & illa concludere vixq; non ἀπόδειξιν constituere quis est qui nescit? Nominum, inquam, vel saltem nudè & extra compositionem etiam, ut notum est, vis & magna ea nonnunquam est cum in docendo, tum disputando: & nomen sine actu & officio suo nihil est: nec frustrà cœperunt certè aut casu; sed secundùm convenientiam suam, quam habent cum rebus, signare vel significare debent. A genuinâ porrò & nativâ habitudine sive significatione non frustrà recedendum est, & quavis levi de causâ, nisi, inquam, cogat rei absurditas quædam & disconvenientia cum hac, &c. Ad finem itaq; διασκέψεως hujus summarix mox nunc collimaturi, tali Syllogismo rem includimus:

Omne Nomen numeri pluralis (sc. ratione termini) contradistinctum suo singulari & ipsi usitato, infert ratione & vi formæ suæ, & in sensu quidem suo nativo, appropriato sive principalissimo, necessariò pluralitatem, & in rebus quidem per se subsistentibus atq; intelligentibus suppositorum vel personarum:

Nomen *Elohim* de DEO uno, vero, usurpatum est nomen numeri plur. sc. ratione termini sui, contradistinctum suo singulari & ipsi usitato: Ergò &c.

*Porrò:*

Cuicunq; competit Nomen, puta verè, realiter & propriè; h. e. cui convenit cum re satis & exactè: eidem rei & significatio ejus nominis necessariò attribuenda est, vel; eidem & res significata hoc nomine attribuenda est:

DEO



DEO uni, vero &c. competit nomen plur. Elohim (eo quod hic unus DEUS, etiam in personis sit Trinus) verè, &c.

E. DEO etiam significatio hujus nominis pl. Elohim; vel Eidem & res significata hoc nomine, nempe pluralitas personarum necessario attribuenda est.

*Velita:*

Posito nomine, cui convenit cum re verè, realiter & propriè, necessarium est rem ipsam quoq; poni & existere, quæ nomine hoc significatur:

Sed datur sive ponitur ejusmodi nomen scil. *Elohim*, cui exactè, verè & realiter s. propriè cum DEO nempe trinuno, glorioso convenit:

E. Necessarium est. &c.

En ἀπόδειξιν qualemennq; .Ad Secundum respondemus, quo & simul atq; semel quærebatur: an etiam SS. Trinitatis mysterium in specie ex hoc Nomine vel phrasi probetur? ex hoc numero plur. vel structurâ item vocum non immediatè probamus S. S. Trinitatem, sed mediatè tunc, quia Scriptura S. nempe ad ternarium numerum pluralitatem illam restringit. Ad tertium: quale sit hoc nomen, & quid ergò notet? reponimus: 1. non essentialè DEI nomen est, quod est יהוה: sed 2. Personale. 3. consequenter tamen & ipsam divinæ Essentiæ unitatem notat. 4. Ullibi verò locorum in S. S. id poni essentialiter, hoc est de quo dubitamus. 5. porrò, *κρίως* & principalissimè Collectivum nomen est 6. nonnunquam tamen, atq; id rarissimè, distributivè & *δευτέρως* accipitur. 7. præterea DEI nomen proprium, non appellativum: essentialè, quia consequenter tale, non officii est: contra Socinum contra *Wieck. pag. 379. Volan. pag. 186. Enjedin. in præm. Johann. pag. :60. Schmalz. in exam. 100. error. error. 3. pag. 5. item doctifs. Mercerus in b. l. p. 37. col. 1.* 8. Unum ex principalissimis & alterum palmarium est cum tetragrammato sc. יהוה 9. notatq; ergò tandem in suo formali & præcisè, non *Deum*, non *Deos*,  
(qui



(quī error fons est & fundus omnium reliquorum circa principa-  
lissimam hanc præsentem controversiam) sed *plures*, & quæ medi-  
ante S. S. Scripturâ ad ternarium deinceps numerum restringun-  
tur, *tres* quidem *Deitatis unius personas*. 10. Græcus & Latinus, si  
satis possent, præcipuè verbo quodam ἑγχεῖσθω, id circumscribe-  
rent fortè, & circumscribunt etiam potiùs, quàm exprimunt  
vocalibus: Τριάδος, Τρισυποστάτης vel Τριπροσώπων, quo vocabulo  
Gregor. Nyssenus utitur, quod Photiniani per calumniam expo-  
nunt *tripersonatus*: Latinus: *Trinitas*, vel potiùs *S. S. Trinitas*. Ger-  
manus *τρεῖς ὁμοῦς*: die *Dreypersonige Gottheit* / vel die *H. Dreyfals-  
tigkeit* / vel potiùs die *H. DreyEinigkeit*. Tantùm.

## SOLI JEHOVA ELOHIM UNI TRINO GLORIA!

יְהוָה

---

*Ad Præstantissimum*

**Dn. RESPONDENTEM,**

Fautorem & Amicum suum plurimùm colendum.

**C**ognitione Dei, nec voce salubrius hujus  
Est opus, amissum datq; nitere jubar.

*His exornatus POMARI docte, Cathedram*

*Scandis, Hebræorum dogma tuumq; facis.*

*Sat benè; ut à DOMINO positum Pomarium in Eden*

*Te coluisse, tua & pomatulisse putem.*

*Cresce age POMARI, velut arbor, & excole Linguam*

*Primævam, in primis sic quoq; cultus eris.*

**Major, habere oculos, dolor est, ubi non datur uti,**

**Quàm, quibus utaris, non habuisse oculos.**

*Ita honoris atq; amoris E.*

*Gratul. alludebat*

**M. Christophorus Giehra Mulhus. Thur.**

**P. L. C.**

20



An  
Herrn S. Baumgarten/  
über seine Disputation.

Du bist zwar jung von außen an den haaren;  
doch schaut man an zu Franckfurt deine Werck/  
ingleichen auch anjetzt zu Wittenberg/  
so leuffstu weit dir selber für an Jahren.  
Wie viel dir pflag dein Schlessien zuzutrauen;  
Wie hoch es hellt mit dir als seinem Sohn/  
jedoch so sieht es jeko bey sich schon/  
Man müsse viel noch höher auff dich bauen.  
Will vnd Verstand muß täglich bey dir lernen/  
den machstu weiß-vnd jenen klüger sein;  
schläfst niemals nicht denn sehr gelehrter ein;  
miest bald die welt / gar bald den lauff der sternen.  
Jetzt / wie ich seh / so wehlstu solche Sachen/  
dabey du from vnd auch gelehrt kanst sein/  
giebst Jüdisch was vons Höchsten Nahmen ein/  
das billich dir wird einen nahmen machen.  
Zwar weiß ich nicht / so viel ich kan erkennen/  
ob man auch je der that nach die sich weist/  
Dich besser kan / als wie du selber heist;  
als einen Baum vnd einen garten nennen.

Johannes Hamke  
SiL.

Teti-



**T**etigit superbas haectenus Coeli faces,  
& purpuratae roscidam Deae rotam,  
vectus suae Linguae Silesus alite,  
Nunc indoles ortae Polo, Mentis Dape  
Phoebæiâ pastae, peregrinis volunt  
Linguis mereri plura Famæ proemia,  
Quæ quanta sint futura Laudis Patriæ  
non legnis Auctor sat docet Pomarius,  
Is non Periclis entheo mulcimine,  
non Tullianæ Gratiae Facundiâ,  
purissimoq; Sarfinatis polline  
Contentus ultra tendit & præter volans  
Vocis Pelasgæ, Vocis & Latiae decus;  
quicquid sacer Mosis cothurnus detonat,  
quicquid sonat Davidis æternans Lyra,  
Labore Mentis arduo sibi vendicat,  
Quod monstrat erudita Dissertatio  
de voce ELOHIM publicis Typis data,  
Maeste hoc labore, maeste, nec Te subtrahe  
Famæ futuræ sordido Felsoniæ  
langvore Liberiq; facibus DEI,  
*POSTHAC Loquens vincensq; Linguâ Teutonâ  
per Te Silesus discat Ebraâ loqui.*

Johannes Cutschreuterus




05 A 1576

ULB Halle

3

003 779 521




V017











2

ברוך שם כבוד

*De*

# DIVINO NOMINE ELOHIM,

*Et imprimis*

obilissimâ, eaq; vexatâ multum  
overfiâ; an ex hoc Nomine plurali, & præsertim hoc  
Verbo singulari ברא, Genes. I, vers. 1. vi & ipsâ vocum ac con-  
structionis quodammodo mysterium SS. Trinitatis, vel sal-  
tem pluralitas personarum in unâ divinâ essen-  
tiâ possit probari?

## DIATRIBÆ PHILOLOGICÆ

*Contra*

æos, Photinianos, Pontificios, Calvinianos  
atq; novatores nonnullos  
SUMMARIUM

& quasi Ejusdem Prodromus,


*PRÆSIDE*

### M. ANDREA SENNERTO,

Lingvæ Sanctæ Professore Publico,

*Respondente*

SAMUELE POMARIO, Wintzigensi Silesio,  
*publicè disputabitur, ad d. 5. Martij,  
in Auditorio majori.*



WITTEBERGÆ,

Literis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.  
ANNO cl̄ l̄ c̄ XLV.

3

